

*De PEYOTL Xochimilcensi.*

PEYOTL , seu *nitens medicina* , radicem fert crassam, teretem , et obductam lanugine praeter alias juglandibus similes forma , atque magnitudine , ab omnium maxima hinc, et inde prodeuntes ; caulem viridem , unicum , teretem , ac lentum , folia rara , Pyri foliis haud dissimilia , pediculis purpureis appensa , flores circa caules postremos luteos, ac calycibus contentos scariosis. Frigida est ejus temperies ; atque ita radix ejus bibitur adversus febres drachmae unius pondere , necnon adversus ventris fluxum.

*De PEYOTL Zacatecensi , seu radice molli , et lanuginosa.*

Radix quaedam est mediocris , nullos proferens ramos supra terram , foliave , sed lanuginem quamdam ei adhaerentem ; quamobrem a me non potuit aptè delineari. Ajunt marem , faeminamque offendi. Dulcis videtur gustu , ac moderati caloris. Tusa , admotaque doloribus articulorum dicitur mederi ; illud ferunt de hac radice mirabile ( si modo fides sit vulgatissimae inter eos rei habenda ) devorantes illam quodlibet praesagire , praedicereque ; velut an sequenti die hostes sint impetum in eos facturi ? anne illos felicia ma-